



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens Psalmos à 51. ad 75

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, 1762

VD18 15558428-001

Psalmus LXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53344)

persequuntur. Ipsi, impii, frustra conati sunt me interficere : nam finis illorum erat, ut ipsi soli terram possiderent, & ejus deliciis fruerentur ; sed à terrâ absorpti, in inferno erunt, tradendi in potestatem tormentorum, sinè fine in eos desævientium : nec dominabuntur amplius super homines, sed ipsi subjecti erunt dæmonibus injustis. Dæmones vocantur vulpes, quia versutiâ vulpinâ homines capiunt, & sibi subjiunt.

ψ. 10. *Rex verò letabitur in Deo, laudabuntur omnes, qui jurant in eo, quia obstruetum est os loquentium iniqua.*

Ecce quomodo omnino in vanum impii laboraverunt : nam non solum ipsi non consequentur bona, quæ optabant ; sed nec poterunt justos bonis suis privare. Nam Rex ipsorum Christus vivet, & regnabit, & *letabitur in Deo*, sedens in dexterâ Patris gloriosus ; & laudabuntur omnes, qui non obstantibus persecutionibus, eum tanquam verum Deum religiosè colunt, & illi fidelem obedientiam jurant : nam obstruetur in die judicii os eorum, qui nunc blasphemant, maledicunt, calumniantur &c.

PSALMUS LXIII.

Titulus, & Argumentum : *In finem, Psalmus David.*

Hunc Psalmum de solo Davide aliqui explicant,

cant, qui liberari à persecutoribus cupiebat; aliqui ad solum Christum referunt, cujus passio in eo ex pacto describi videtur: potest de utroque intelligi; imò de Martyribus, aliisque justis, quorum caput Christus est. Nos cum S.S. Patribus Psalmum potissimum de Christo explicabimus.

ψ. 1. Exaudi Deus orationem meam, cum deprecor, à timore inimici eripe animam meam.

More suo Propheta primùm petit exaudiri, deinde exponit, quid cupiat. Fac obsecro, ne frustra deprecet. *à timore &c.* est petitio: tolle materiam timoris, fac, ut inimicus vel non possit, vel non velit me occidere. Vel sensu spirituali, & utilissimo: libera me à timore humano, non tollendo materiam timoris, sed augendo caritatem, & constantiam, & in omni tribulatione radicer tantùm in timore divino, ne peccem &c. In priore sensu locutus est Christus in personâ propriâ Math. 26. ψ. 39. ; in posteriore sensu in personâ membrorum suorum infirmorum.

ψ. 2. Protexisti me à conventu malignantium, à multitudine operantium iniquitatem.

Quod dicit Christus in præterito, se nempe exauditum esse, idem membris suis promittit in futurum. Convenerunt sæpe Principes Judæorum ad Christum occidendum; & milites ad
ope-

operandum iniquitatem, ad illudendum, flagellandum &c. ; sed protexit eum Deus. Quòd postea permiserit, eum flagellari, crucifigi &c. hæc omnia versa sunt in gloriam, & triumphum. Sic Deus Martyres, & pios protegit, quia martyrium prodest ad gloriam, tribulatio cooperatur in bonum.

ψ. 3. *Quia exacerunt, ut gladium linguas suas, intenderunt arcum, rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.*

Loquitur de conventu malignantium, qui linguâ pugnarunt contra Immaculatum, seu Christum, ut eum maculatum, h. e. blasphemum, seductorem &c. falsis testimoniis ostenderent: non solùm palàm quasi gladio eum ferierunt; sed & in absentem ex occulto per insidias, quæ erant res amaræ, seu lethiferæ, sagittas tetenderunt. Breviter: palàm, & occultè viræ Christi insidiabantur verbis.

ψ. 4. *Subitò sagittabunt eum, & non timebunt, firmaverunt sibi sermonem nequam.*

Nec solùm arcum intenderunt, sed & ex improvisò sagittas insidiarum emittent, & quidem audacter, non formidantes Divinum judicium, quia stabilierunt firmiter sententiam, quâ dixerunt: *Reus est mortis*; hinc etiam tam semper obstinate oblocuti sunt Pilato: *Crucifigatur.*

ψ. 5. *Narraverunt, ut absconderent laqueos, dixerunt, quis videbit eos?* Ad

Ad obstinationem accessit hypocrisis, quâ invidiam, & malitiam tegere voluerunt prætextu Cæsaris, Matth. 27. *Narraverunt &c.* dixerunt intra se, abscondamus insidias, fingamus nos moveri ob injuriam Cæsaris, quasi huic prohibuisset tributa dari &c. quis fictionem videbit, aut puniet?

¶ 6. *Scrutati sunt iniquitates, defecerunt scrutantes scrutinio.*

Ad insidias, & hypocrisin addidère, ut diligentissimè investigarent iniquitates, si quas invenire possent in Christo; ideo quærebant falsa testimonia, & *defecerunt &c.*, h. e. iis quasi veris scienter abusi sunt.

¶ 7. *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.*

Post malignitatem hostium, jam dicit, quid Christus egerit tempore tantæ persecutionis. Christus, ut homo, juxta profunda cordis sui consilia, *accedet*. se offeret, & patienter, humiliter perferet omnes injurias; sed ut Deus exaltabitur, si patebit, eum moriendo mortem destruxisse, & resurgendo vitam reparasse.

¶ 8. *Sagittæ parvulorum factæ sunt plaga eorum, & infirmata sunt contra eos linguæ eorum.*

In hoc consistit dicta exaltatio Dei, quòd plagæ ab adversariis Christo inflictæ, tam parùm illi nocuerint, ac si factæ essent ab infantibus,

E

quo-

quorum tela sunt leves festucæ, & manus ad nocendum infirmæ: calumniando, & blasphemando non Christo, sed sibi nocuerunt. Et verè, quales plagas Christo intulerunt Judæi, quæ post triduum ita curatæ sunt, ut corpus ejus impassibile, & immortale surrexerit? Sic in die judicii apparebit, quàm parùm, aut nihil persecutores Martyribus nocuerint.

ψ. 9. *Conturbati sunt omnes, qui videbant eos, & timuit omnis homo.*

Dat rationem præcedentis ψ. Nam omnes attoniti, & confusi sunt, dum ab Apostolis audiebant Christum surrexisse à mortuis, in Cælum ascendisse, venturum judicem &c. Et omnes, qui rectâ ratione utebantur, ceperunt timere dicentes. *Quid faciemus viri fratres? &c. vide Act. 2.*

ψ. 10. *Et annuntiaverunt opera Dei, & facta ejus intellexerunt.*

Constructio, & sensus est hic: Illi, qui sancto timore correpti sunt, & præsertim Apostoli, qui, Christo post resurrectionem apparente, timuerunt, ceperunt prædicare Christi Incarnationem, passionem, resurrectionem, doctrinam, miracula &c. quia illa edocti sunt tum ab ipso Christo post resurrectionem Luc. 24. tum à Spiritu S. Joan. 16.

ψ. 11. *Letabitur justus in Domino, & sperabit*

rabit in eo, & laudabuntur omnes recti corde.

Ex illâ Apostolicâ prædicatione id consequetur, ut omnis ex impio factus verè justus, lætetur deinceps in Domino, & speret in eo, deposito metu servili, & mundano: & tandem in fine mundi, qui in justiciâ perseveraverunt, & per hoc rectum cor habuerunt ad Deum, non sapientes, nec volentes, nisi quæ Deo placent, à Deo laudabuntur.

PSALMUS LXIV.

Titulus, & Argumentum: *In finem Psalmus David. Canticum Jeremia, & Ezechielis populo transmigrationis, cum inciperent exire.*

Psalmus hic, qui revera Davidis est, fingitur cantari a Prophetis Jeremiâ, & Ezechiele, quia illi duo prædixerunt reversionem populi de Babylone in Jerusalem; & fingitur decantatus ab initio egressioni, ut intelligeremus, Psalmum exponi debere de reditu filiorum Israel à captivitate in patriam. Altiori sensu Psalmus prædicit conversionem infidelium ad Ecclesiam, & reditum spiritualium peregrinorum ad patriam Cælestem: nam & Ecclesia, & Cælestis patria per Jerusalem in sacris literis significari solet.

ψ. 1. Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Jerusalem.

E 2

Loqui-